

Agamemnone simili errore peccatur. Orthographicæ rationes metro labanti succurrunt. In compositis a κέρως nunquam ω admittitur, sed aut κέρως servatur integrum, quod fit ante labiales β et φ; aut nunc ultima syllaba abjicitur a veteri genitivo κέρως (κερε-αλικής) nunc ultima litera a veteri nominativo κέρως. Dicunt igitur Attici κεροβάτης, κερόδετος, κερουλκός, κεροφόρος, et propterea κεροτυπεῖν. Rariora sunt, probæ tamen notæ, κεράσβολος (ex Platone satis notum) et κερασφόρος, quod exstat Euripid. Phœniss. 255. et in fragmento Sophoclis apud Ælian. N. A. VII. 39. Ἄρασα μυκτῆράς τε καὶ κερασφόρους Στόρθυγγας εἶρφ' ἔκηλος. Versum ex Euripidis Oreste 268. Δὸς τόξα μοι κερουλκὰ, citat Suidas v. κεροβάτης, ubi male priscam lectionem παρ' Εὐριπίδῃ Kusterus, licet ex MSS., in παροιμία mutavit. Similiter in compositis a κρέως se res habet. Nunquam enim κρεωδαισία, κρεωκοπεῖν, κρεωπώλης, κρεωστάθμη dicunt Attici, sed brevem semper vocalem adhibent. Et ne quis objiciat, editos libros hanc legem sæpe migrare, sciat lector nusquam hæc aut similia verba apud Pollucem occurrere, quin in uno saltem MS. ο pro ω substituatur. Diversa forma est κρεανομία, pro qua apud Pollucem I. 34. et Clementem Alex. Protr. p. 11, 17. male scriptum est κρεωνομία. Sed, ut redeat, unde digressa est oratio, Wassius ad Thucyd. II. 84. hunc Æschyli locum laudans, κεροτυπούμεναι scribit, iudicio an errore, nescio.

Choëph. 421. Vel transpone, Ἐκοψ' Ἀρειον κομμὸν, vel lege, quod sententiam melius connectit, Κομμὸν δ' ἔκοψ' Ἀρειον.